

mulier cum corona in manu altera, in altera verò palmam habente, cum inscriptione, VICTORIA AVG. hoc & comprobat Suetonius dicens, Victorem autem se ipse pronuntiabat, qua de causa & præconio vbique contendit. instituit siquidem quinquennale certamen primum omnium Romæ, more Græco triplex, Musicum, Gymnicum, Equestre, quod appellauit Neronia, vt etiam est videre in Numismate, verbis Græcis scripto NEPINOION, & apij corona circumdato, de qua corona Iuuenalis in viij. sic,

*Hæc opera atque hæc sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu,
Prostitui, Graiaque apium meruisse corona.*

Sed & Neroneum quoque mensem Aprilem de nomine suo appellauit, & Romæ Neroneum Agona ante præstitutam diem reuocauit, cum magni æstimaret cantare. Sed & Romam è Græcia reuersus eo corru, quo Augustus olim triumphauerat, & in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capiti gerens Olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum, cum titulis vbi, & quos, quo cantionum, quòve fabularum argumento vicisset: sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, Augustianos, militesque se triumpho eius, clamantibus. & reliqua. Dedicauit & Thermas atque Gymnasia, Senatui quoque & equiti oleum præbuit. magistratos toti certamini præposuit consulares sorte, sed prætorum deinde in orchestram senatumque descendit, & orationis quidem certaminisque Latini coronam de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu, concessam sibi recepit. Citharam autem à Iudicibus ad se delatam adorauit, ferrique ad Augusti statuam iussit. Et hæc quidem Suetonius, quæ hic volui scribere, vt non frustra coronam fuisse effectam in illo numismate quis existimaret. Sed quòd aliam mulierem cum corona etiam in vna manu, in altera palmam habentem aliud numisma ostentat, cum inscriptione Græca hac, ΡΟΔΙΩΝ. hoc etiam ex Suetonio puto, nos addiscere posse, si hic verba subscripsero, Apud eundem (inquit) consulem pro Bononiensibus Latinè, & pro Rhodijs, atque Iliensibus Græcè verba fecit. Et alibi, Matrem dicta factaque sua exquirentem acerbius & corrigentem hæcenus primò grauabatur, vt inuidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rodumque abiturus. Hæc Suetonius, quæ ad hanc rem facere possunt. Sed hic illud animaduertendum est, ΡΟΔΙΩΝ per ω, magnum secundo loco scribi. cum Ρόδιος. s. ῶ. hoc est Rhodiensis per ο, paruum scribatur apud Græcos, Sic & Ροδιός Fluius. Sic & Ρόδιον Rosa. Ροδιον. ων ῶ. rosetum. per, ω, magnum autem scribi. Sed ego facile crediderim Rhodienses hunc nummum percussisse in aduentum Neronis ad eos. ideo ΡΟΔΙΩΝ inscripsisse, hoc est Rhodiensium & ideo per ω. scriptum. Sed hæc satis. Nos enim in Philosophiæ studijs & penè in medijs lectionibus huius anni, quæ ad Physica pertinent, occupati